



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

[7.] S. Ambrosius Ecclesiæ Doctor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

**Festum S. Ambrosii Magni Ecclæ Doctoris.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**S**imus discipuli tanti Doctoris ! Fuit ita potens verbō , & exemplō , ut errantem Augustinum reduxerit ad ovile Jesu Christi. Gratulemur oviculæ ! gratulemur & bono Pastori. Nihil Deo gloriosius , nihil gratius Christo , quam conversio animarum. Pro his sanguinem dedit , quem sanè in labantis orbis firmamentum denegaslet. O si zelus domus Dei & animarum commederet nos ! Domine ! da nobis animas. Alioquin morimur !

*Instructio meritoria.*

Ut plures ejusmodi in ecclesia quotidie animarum pescatores , & exemplares Doctores prodeant ad insigne ovilis Christi augmentum , officium de Spiritu sancto recitemus. Clamemus , ut videamus. *Illum amemus , quem amare debitum est ! illum exosculemur , quem osculari sanctitas est.* Paulinus.

II. Con-

## II.

Contristamur non raro propter negotia, aut officia nostra. Unde? quia plus hominem attendimus, quam Deum. S. Ambrosius etiam Imperatoris functus est munere: sed nunquam divisus in suo corde. Facilius operamur cum Deo, quam sine eo. Cur ergo toti ad extra effundimur? Fili mi! nolo ipsum otiosum! Nolo & suorum rerum incursum! Sed primas Deo curas, & animæ dandas suadeo. Non deerit, mihi credat, quin primum quærenti regnum Dei fausta eveniant omnia. Probatum est!

*Instructio meritoria.*

Omnis functiones totius diei exactè exequi, & mentem tamen cœlo tenere affixam satagamus. Ut fiat, statim à manè pactum ineamus cum Deo, & sensibus nostris, pro quorum custodia expansis brachiis duodecim Pater, & Ave coram Sanctissimo Venerabili præmittat. Non operari, sed operari bene, & attente, sanctificat.

Ff 7

III. Pro-

## III.

**P**roximus jam morti S. Ambrosius  
ait ad suos: *Non ita inter vos vixi,  
ut pudeat me vivere; nec timeo mori;  
quoniam Dominum bonum habemus.  
Fili! & de nobis auderemus dicere talia?  
Estne & noster vivendi modus sic pro-  
batus Deo? Optamus. Ergo & mores,  
& sensus reformemus. Sed quomodo?  
per quotidianam præparationem pro  
mortis horâ. Beatus, qui semper mor-  
tem expectat impavidus! qui ad prox-  
imæ mortis nuntium non immutat colo-  
rem! Adveniente vespere gaudet ope-  
rarius. Qui dolenda non egit in vita, nun-  
quam mori timebit. Timeant Athei!  
gaudeant innocentes Christiani!*

*Instructio meritoria.*

In hac doctrina ut strenuè nos exerce-  
amus, sempérque armati pro lucta ulti-  
ma vivamus, hodie, & im posterum sin-  
gulis saltem mensibûs semel pro nobis  
ipsis commendationem animæ coram San-  
ctissimo, vel devotô Crucifixô magno  
cum fervore præmittamus. In fine ad-  
datur psalmus: *Paratum cor meum,  
Deus!*



VIII. Decemb. B. V. M. sine labe conceptæ. 687

Deus ! paratum cor meum. Tristem  
expectet mortem, qui vitam egit imme-  
morem æternitatis.

Solemnitas ter Benedictæ Vir-  
ginis Mariæ sine Labe, & macula  
Conceptæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Dum de peccatis agitur , nullam vo-  
lumus Mariæ haberi mentionem,  
affirmat S. Augustinus. Maria ergo Ma-  
ter sine omni macula ? Sic credimus. Nos  
quales filii ? O si digni *Immaculata* ! Eri-  
mus dilecte ! si quæ pura, munda, & ca-  
sta sunt , prodiderunt verba, cogitatio-  
nes, & opera.

*Instructio meritoria.*

Dignos proin reddamus nos ! præsen-  
tem octavam speciali modestiâ , & gravi-  
tate morum transigendô , & quotidie tres  
actus reflexos illarum virtutum exercen-  
dô , & exercitos Venerabili Patri spiritua-  
li in confessione proxima extradendo.  
Sic juber Maria ! sic & exigit angelica mo-  
destia. Ne in hac deficiamus , Cursum  
*Ma-*